



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iohannis Scheffleri S. R. Eccl. Presbyteri Concilium  
Tridentinum antè Tridentinum**

**Angelus <Silesius>**

**Nissæ, 1675**

Articuli Quinti, Punctum Tertium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42264**

*Concilij Trid: antè Trident.*

in Evangelio Dominus dicit: qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lauet, sed mundus est totus. Si igitur peccata in baptismo funditus minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: qui lotus est mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit.

*Articuli Quinti,  
Punctum Tertium.*

Justitiam acceptam conservari  
atque etiam augeri per bona o-  
pera; eaque non solummodo fru-  
ctus &

*Artic: V. Punctū III.*

Etus & signa esse adeptæ justificationis ; sed etiam causam augenda ipsius justificationis.

Verba Concilij, *Sess. 6. c. 24.*

*Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri per bona opera : sed opera fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augēda causam, anathema sit.*

**O** Rigenes homil: 2. in Levitic: Audi nunc, quanta sint remissiones peccatorum in Evangelio. Est ista prima quâ baptizamus in remissionem peccatorum: Secunda remissio est in passione martyrij: tertia est, quæ pro eleēmosyna datur. Dicit enim Salvator: verumtamen da  
cc cle-

*Concilij Trid antè Trident.*  
te eleëmofynam, & ecce omnia  
munda sunt vobis?

*Cyrillus Hierosolymit: Catecb 8.*  
Poterit lanè aliquis etiam per pe-  
cunias justificari. Esurivi, in-  
quit, & dedistis mihi manduca-  
re, omninò id per pecunias. Et  
vis nosse, quod bona & opes  
possunt esse ostium regni celo-  
rum? Vende omnia quæ ha-  
bes, inquit, & da pauperibus, &  
habebis Thesaurum in Coelis.

*Chrysostomus homil 34 in Ge-  
nes.* Hic erudiamur, ut magna in  
dandis eleëmofynis largitate u-  
tamur, quo datis parvis adipi-  
scamur magna. Quomodo e-  
nim paria sunt, dic obsecro, da-  
re parùm argenti, & obtinere  
peccatorum remissionem? pa-  
scere esurientem, & in die illâ  
horri-

*Artic: V. Punctum III.*

horribili fiduciam assequi, & audire verba nulli regno conferenda: Esurivi & dedistis mihi quod comederem? Et mox: Esto fidelis eorum, quæ tibi à Domino concessa sunt, bonorum dispensator, ut adjutus illius penuriâ, tibi supernam concilies gratiam. Et postea: Nullum omninò aliud bonum sic poterit restringere peccatorum nostrorum incendium, ut eleëmofynæ largitas: hæc & peccatorum nostrorum abolitionem operatur, & magnâ nobis fiduciam conciliat, & præparat, ut ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.

*Et homil: 33. ad popul: Antioch:*  
Eleëmofyna æternam ministrat  
vitam, ex mortis manibus eripit,  
& in utrâque vitâ claros exhibet;  
& man:

*Concilij Trid: antè Trident.*

& mansiones ædificat in Coelis,  
& æterna paratilla tabernacula.  
Hæc lampades nostras non sinit  
extingvi, nec sordidis indutos  
vestibus in nuptijs videri; sed la-  
vat & nive mundidiores reddit.  
Non sinit nos eò deducere, ubi  
dives ille; nec audire verba tre-  
menda, sed in Abrahamæ sinus de-  
ducit.

*Id. S. Chrysofom s. 2. de jejun:*  
Cùm in paradiso pro magnâ cõ-  
moditate indicitur, multò ma-  
gis extra paradisum necessarium  
postulatur. Et cum ante plagã  
remedium utiliter demõstratum  
est, multò magis sauciatis appe-  
tendum est, ut præstet vulnerib<sup>9</sup>  
sanitatem. Et cùm antè confli-  
ctum ad resistendum libidinosi  
voluptatib<sup>9</sup> clypeus, nobis absti-  
nentia

*Artic: V. Punctū III.*

mentiaē necessarius fuit: multo magis in ipso nostro certamine jejuniū auxiliū ad nostram victoriam flagitandum est.

*Idem homil: 20. in 2. ad Cor: 9.*

Quemadmodum triticum quod seminatur pręgnantes aristas ostendit: ita & eleēmosyna multos manipulos justitię efficit, & ineffabiles proventus profert.

*Idem Serm: 3. in dict: Apostoli,*

habentes eundem Spiritum, &c. Non tam apta est aqua ad ablendas corporis maculas, quàm eleēmosyna ad abolendas sordes animę.

*Id. homil: 34. ad Popul: Antioch:*

Ait enim (Psalm: III.) Dispersit, dedit pauperibus, justitię ejus manet in sæculum sæculi. Brevi tempore distributionem fecit, &

**G**

peren-

*Concilij Trid. antè Trident.*

perenni ævo permanet ejus justitia. Quid hoc unquam possit esse beatius? Propterea cohortor per eleēmosynam attraham9 justitiam, ut & de nobis hoc dicatur: Dispersit, dedit pauperibus. Postquam enim dixit, dispersit, ne putares, quod dispersa periissent, propterea statim intulit, justitia ejus manet in sæculum sæculi.

*Hilarius in Psal: 133.* Elevanda opera nostra sunt in DEI sancta, id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adjuvandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis nostri infirmitate sanctificāt: Hæc DEO placita & sancta sunt.

*Hieros.*



*Artic. V. Punctum III.*

*Hieronimus in Psal: 133. Pec-*  
*cata, quæ jam aliter lavare non*  
*possumus, extingvit eleëmofyna.*  
*Quid scriptum est? Sicut aqua*  
*extingvit ignem, sic eleëmofy-*  
*na extingvit peccata. Hoc præ-*  
*stat eleëmofyna, quod & baptri-*  
*sma: Quomodo baptrisma no-*  
*bis peccata dimittit, ita & eleë-*  
*mosyna nobis peccata dimittit.*  
*Similiter quoq; loquitur S. Cy-*  
*prianus l. de operib: & eleëmosyn.*  
*Item S. Augustinus lib 50. homil.*  
*hom: 39. ubi eleëmofynas secun-*  
*dum baptrisma nominat.*

*Idem S. Hieronym: ad c. 6. Da-*  
*niel: Si Rex nesciens DEUM je-*  
*junat pro altero, quem vult de*  
*discrimine liberari: quantò ma-*  
*gis nos pro peccatis proprijs in-*

*Concilij Trid: antè Trident.*  
ediâ, & vigilijs debemus DEUM  
ad clementiam flectere.

*Idem ad cap: 3. Jone.* Saccus &  
jejunium arma sunt poenitentiae,  
auxilia peccatorum.

*Idem S. Augustinus Serm: 50. de  
Temp: c. 10.* Multa alia sunt divi-  
ni eloquij documenta, quibus  
ostenditur multum valere eleē-  
mosynam ad extingvenda & de-  
lenda peccata. Proinde illis  
quos damnaturus est, imò plus  
illis quos coronaturus solas ele-  
mosynas imputabit, tanquam  
dicens, difficile est, ut si exami-  
nem vos, & appendā vos, & scru-  
ter diligentissimè facta vestra,  
non inveniam undè vos damnē:  
sed ite in regnum. Esurivi enim  
& dedistis mihi manducare. Non  
ergo itis in regnum quia nō pec-  
castis.

*Artci V. Punctum III.*

castis, sed quia vestra peccata e-  
leëmofynis redemistis.

*Athanasius de Virginit: S. me-  
ditatione.* Jejunium morbos fa-  
nat, destillationes exficcat, da-  
mones fugat, malasq; cogitatio-  
nes expellit, & mentem nitidio-  
rem reddit, & cor purgatius &  
corpus salubrius, & ad thronum  
DEI hominem sistit.

*Basiliius Mag: bomil: 1. de laud:  
jejun:* Quemadmodum vermes,  
qui in puerorū intestinis germi-  
nant, pharmacis quibusdā vehe-  
menter acribus & amaris excuti-  
untur: ita peccatū in intimis se-  
cessibus habitans, extinguit ne-  
cātq; simul atque in animam su-  
pervenerit jejunium, ob hoc ip-  
sum suo dignum nomine. *Idem  
bomil: 2.* Quemadmodum o-

*Concilij Trid: antè Trident.*

leum oblinic achlectam, ita jejunium robur addit ei, qui ad pietatem se exercet. Itaque quantum subtraxeris carni, tantò red-des animam habitudine spiritua-li nitidiorem.

*Theodoretus ad cap: 1. Joel.* Ex dictis plenè docemur, ut jejunium animæ malè habenti sit medicina salutaris. Quare jejunio subjunct curacionem, sanctificate, inquit, jejunium, prædicate curacionem.

*Tertullian. lib. d. jejun: advers. Psychicos c. 7.* Per hanc mœroris sequelam & inedia, etiam civitas illa peccatrix Ninive de exitio prædicato liberatur. Satis enim pœnitentia scelerum commendaverit DEO jejunium tri-duò sancta, etiã pecudibus ene-  
ais,

*Artic: V. Punctum III.*

Etis, quibus iratus DEUS nō erat.  
Sodoma quoque & Gomorra  
evasissent, si jejunassent.

*Theophylactus in 2. Ep. ad Cor.*  
*cap. 9.* Quod planè semen ma-  
vult, ut egentibus distributum  
spirituale reddatur & transfera-  
tur in animum. Ex hoc enim  
quidvis boni operis nobis suc-  
crescit, & justitiæ insuper mani-  
puli augetur, ob idq; illud sub-  
jungit & augebit incrementa ju-  
stitiæ vestræ.

*Cyprianus Serm: 1. de Eleemos.*  
Coarctati eramus, & in angustū  
innocentiæ præscriptione con-  
clusi, nec habebat quod fragili-  
tatis humanæ infirmitas atq; im-  
becillitas faceret, nisi iterum pie-  
tas divina subveniens, justitiæ &  
misericordiæ operibus ostensis,

*Concilij Trid: antè Trident:*

viam quandam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodum, quascunque contrahimus eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus S. & dicit: Eleemosynis & fide delicta purgantur. Non utique illa delicta, quæ fuerant ante cõtracta: nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur. Jam denuò dicit: Sicut aqua extingvit ignem, sic eleemosyna extingvit peccatum. Hic ostenditur quoque & probatur, quia sicut lavauro aquæ salutaris gehennæ ignis extingvitur, ita eleemosynis atque operationibus justis delictorum, flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & jugis operatio, baptismi instar imitata, Dei rur-

sus in.

*Artic: V. Punctum III.*

fus indulgentiam largitur. *Idem*  
*ibid:* Qui ergo locuples ac dives  
es, eme tibi à Christo aurū igni-  
tum, ut sordibus tuis tanquam  
igne decoctis, esse aurum mun-  
dum possis, si eleëmofynis & ju-  
stâ operatione purgeris. Eme ti-  
bi albam vestem, ut qui secun-  
dum Adam nudus fueras & hor-  
rebas ante deformis, indumento  
Christi candido vestiaris.

*S. Ambrosius de helia & jejun.*  
*cap. 3.* Quid est jejunium, nisi  
substantia & imago coelestis? Je-  
junium refectio animæ, cibus  
mentis est: Jejunium est vita An-  
gelorum, jejunium culpæ mors,  
excidium delictorum, remediū  
salutis, radix gratiæ, fundamen-  
tum est castitatis. Hoc ad DEUM  
gradu citius pervenitur.

*Concilij Trid antè Trident:*

*Idē S. Ambrosius unâ cum alijs  
Episcopis Epistolâ 81 ad Siricium  
Papam contra Jovinianum here-  
ticum: Agrestis ululatus est, nul-  
lam virginicatis gratiam, nullum  
castitatis ordinem servare, pro-  
miscuè omnia velle confundere,  
diversorū gradūs abrogare me-  
ritorum & paupertatem quandā  
coelestium, remunerationem in-  
ducere, quasi Christo una sic pal-  
ma quam tribuit, ac non plurimi  
abundent tituli præmiorū. Ni-  
nive se à morte jejunio liberavit.  
Et ipse Dominus ait: non eijci-  
tur hoc genus, nisi per orationē  
& jejunium.*

*Idem c. 4. Operui in jejunio  
animam meam.. Bonum experi-  
mentum quod animam tegit, ne  
à tentatore deprehendatur, ne à  
tenta-*



*Artic: V. Punctum III.*

tentatore nudetur. Bonum ve-  
lumen quod tegit culpam, tegit  
abstinentia, tegit gratia. Tegit  
gratia dum remittit, & omnem  
abolet errorem. Tegit abstinen-  
tia dum abluic vitium, & mœsto  
abscondit affectu atq; extenuat  
pœnitendo. Etenim jejunium,  
& eleëmofyna à peccato liberāt.  
Vide illum in sequentibus, ubi  
multa similia pulchra de jejunio  
invenies. *Item Epist: 81. ad Ec-  
clesiam Vercellensem contra eos,*  
qui nullum dicūt esse abstinen-  
tiæ meritum.

*S. Augustinus de nat: & grat:*  
*cap: 70.* Charitas inchoata, in-  
choata justitia est: Charitas pro-  
vecta, provecta justitia est: Cha-  
ritas magna, magna justitia est:  
Charitas perfecta, perfecta justi-  
tia est.

*Concilij Trid. antè Trident.*

*Idē S. Augustinus Serm 16. de  
verb: Apost: Justificati sum 9; Sed  
ipsa justitia cūm proficimus, cre-  
scit. Et quomodo crescit dicam,  
& vobiscum quodammodo con-  
feram, ut unusquisque vestrum  
jam in ipsā justificatione consti-  
tutus, acceptā scilicet remissione  
peccatorum per lavacrum rege-  
nerationis, accepto Spiritu san-  
cto, proficiens de die in diem, vi-  
deat ubi sit, accedat, proficiat,  
crescat, donec consumetur, non  
ut finiatur, sed ut perficiatur.*

*S. Prosper in resp: ad c. 6. Cal-  
tor. Justificatus homo, id est, ex  
impio pius factus, nullo præce-  
dente bono merito accipit do-  
num, quo medio acquirat & me-  
ritum: ut quod in illo inchoatū  
est per gratiam Christi, etiam  
per in-*

*Artic: V. Punctum IV.*

per industriam liberi augeatur  
arbitrij, nunquam remoto adju-  
torio DEI, sine quo nec profice-  
re, nec permanere in bono quis  
quam potest.

*Articuli Quinti,*

*Punctum Quartum.*

Nallum hominē solā fide, vel  
solā imputatione justitiæ Chri-  
sti, aut solā remissione peccato-  
rum justificari, exclusā scilicet gra-  
tiā & Charitate, quæ in corde i-  
pſius per Spiritum sanctum dif-  
funditur, atque illi inhaeret: gra-  
tiam quoque quā justificamur,  
non esse tantum favorem DEI.

*Verba Concilij.*

*Sess. 6. Can. 9. & II.*

*Si quis dixerit impium justifi-*

*carè*